

## MISZELLEN

### Ad Aeneam Tacticum

In praefatione editionis Aeneae Tactici, quae autumnno superiore apud B. G. Teubnerum prodiit, p. VII s. de codice Aeneae rettuli, quem Iosias Simler (in Bibliotheca Conradi Gesneri a. 1574) Romae in bibliotheca Vaticana extare contendit. Qui liber cum post Simleri tempora nusquam apparuisset, Ioannes Mercati, bibliothecae Vaticanae scriptor, valde probabiliter coniecit, eundem eum esse atque Mediceum bibliothecae Laurentianae gr. pl. LV 4, quem suspicari liceret aetate Leonis X., papae familia Medicea nati, cum ceteris codicibus Mediceis per aliquod tempus in Vaticana asservatum esse. Quae coniectura iam ab eodem viro doctissimo novo invento comprobata est. Scilicet quae in codice Vat. lat. 7134. 7135. 7136 desideratur descriptio codicum Mediceorum Graecorum cum Vaticanis coniunctorum, eam nuper reperire ei contigit in cod. Vat. Barb. 3185 fol. 260—446, ubi recensetur *Graeca Bibliotheca quae nunc est apud R<sup>um</sup> Car<sup>lem</sup> de Medicis*, qui posthac fuit Leo X. Ibi in fol. 303<sup>v</sup> (iam 44<sup>v</sup>) legitur descriptio codicis Medicei, quam Io. Mercati mea causa descripsit mihique edendam humanissime commisit. Est autem haec:

f. 303<sup>v</sup> (iam 44<sup>v</sup>) no. 253. *Urbicii, viri Christiani, τακτικά στρατηγικά) i. de re militari: libri octo cum figuris.*

*Liber υποθέσεων τῶν ἐκ τῶν στρατηγικῶν πράξεων; in varia cap. distinctus. Cuius principium ὅτι φιλοπονώτατον καὶ ὀξύτατον. Titulus autem est: Qualem esse conueniat exercitus ducem.*

*Asclepiodoti πῆσι τακτικά κεφάλαια. i. liber de re militari: in cap. XII distinctus.*

*Aeliani ad Hadrianum Imperatorem τακτικά cum suis figuris. In cuius libri fine ita scriptum est: Αἰλιανοῦ ἀρχιερέως τακτικὴ θεωρία.*

*Aeliani eiusdem τακτικὸν ὑπόμνημα: quomodo oporteat πολιορκουμένους ἀντέχειν. qui liber nescio an priori consequatur vel sit diuersus. In eius enim fine ita scriptum est: Αἰνείου πολιορκητικὰ, ἢ Αἰλιανοῦ, καθὼς ἢ ἀρχή.*

*Liber de re militari fragmentatus et sine principio. in cuius fine ita scriptum est: Ἀρριανοῦ τέχνη τακτικὴ.*

*Arriani ἔκταξις κατὰ Ἀλανῶν. In cuius fine ita scriptum est: Ὀνασάνδρου στρατηγικός. Eius autem principium est: ἄ*

μεν οὖν εἰπεῖν ἐπηγγειλάμεθα περὶ τοῦ πρακτικοῦ μέρους τῆς ὄλης πολιτικῆς ταυτά ἐστίν. *Titulus vero est: Conciones exhortativae ad fortitudinem et ex diversis occasionibus sumpta argumenta. quo in opere continentur | (f. 304<sup>r</sup>, iam 45<sup>r</sup>) varia ad usus domesticos: ut medicinae animalium et equorum: prognostica quaedam: agriculturae mirabiles: vini, aceti, olei praeparationes: sagittarum temperatura et huiusmodi.*

*Opus quoddam de re militari sine principio in XII libros diuisum. in cuius fine scriptum: Finis problematum.*

*Leonis Imperatoris, viri Christianissimi: compendium τακτικῶν i. rei militaris, siue πολεμικῶν παρασκευῶν, libri viginti: quorum ultimus est de obsidione urbium. Ipse autem horum librorum distinctiones διατάξεις appellat, veluti: πολεμικῶν παρασκευῶν διάταξις. ᾧ.*

*Constantini Romanorum Imperatoris στρατηγικὸν de moribus diversarum gentium: et quomodo singulae earum pugnent. quomodoque oporteat eis contra pugnare. veluti de armatura, ritumque bellandi persarum et aliorum quorundam. Liber imperfectus.*

Quam descriptionem qui cum eis confert, quae de libro Mediceo auctores referunt in praef. ad Aen. p. V enumerati, non dubitabit, quin hic ipse liber in antiquo catalogo a Io. Marcanti reperto describatur. Qui suo iure haec addit: 'Dunque il codice fu in Roma nel secondo decennio del secolo XVI, e da un bibliotecario (credo) molto diligente della Medicea, forse Varino Favorino Camerte [cfr. Tiraboschi VII 2 p. 430], era stata osservata e registrata nell' indice la sottoscrizione col nome di Enea.' Docto Vaticanæ scriptori quibuscunque Aeneae libellus cordi est, gratias necum habebunt quam plurimas, quod umbram fallacem codicis Vaticanani in omne tempus discussit.

Utar hac opportunitate ad indicanda nonnulla, quae in editione supra laudata vel correctura egere videntur vel supplemento.

Ad p. XII l. 7. Quod Aeneam incertae aetatis scriptorem dixi, id non ita acceptum velim, quasi dubitem quarto eum a. Chr. saeculo adscribere: non dubito nisi de aetate eius accuratius definienda.

p. XXII ante numerum 54 inserendum erat:

53<sup>a</sup> A. de Rochas d'Aiglon Traité de fortification, d'attaque et de défense des places par Philon de Bysance. Paris 1872 (= Mémoires de la société d'émulation du Doubs IV<sup>e</sup> Série, t. VI 1870—1871 [Besançon 1872]). Ibi p. 117—141 (= p. 301—325) capita Aeneae 8. 16. 21. 22. 24—26. 31—35. 37. 39. 40. vel integra vel ex parte francogallice reddita nonnullisque notis illustrata leguntur; c. 31 ex versione comitis de Beausobre expressum est.

p. XXII in corrigendis ad p. 8 in fine legendum *Hn* (non *He*).  
p. 151<sup>b</sup> casu adverso excidit:

ἡμυφάντοις sc. ἰστ(ί)οις 1345.

Grunewald prope Berolinum.

R. Schoene.